statim oblitus est passionum preteritarum. Qui paulo ante passus erat re-
spiciensque vidit portam vincere splendorem solis pre clarita-
te. Cumque intra semetipsum staret admirans de pulchritudine, vidit
multitudinem nimiam procedere obviam sibi cum ramis palmarum,
qui omnes recipientes illum in pace domini atque congaudentes ei quod dominus
ipsum victorem demonum constituit, ipsique domino nostro ihesu christo immensas
laudes atque innumerabiles referebant. Ibique vidit homines diversi generis
de omni ordine religioso, diverse etatis utriusque sexus, alios quasi episcopos, alios
quasi archiepiscopos. Vidit quoque monachos, clericos, virgines, viduas, et
coniugatos, omnes indutos sanctis vestibus; et unusquisque qualis fuit in seculo
talis et hic apparuit. Cumque benigne ab omnibus salutatus esset, duo ar-
chiepiscopi, ut sibi videbatur, recipientes illum ad manum cum processione qua ve-
nerat reversi sunt. Finito processu duo predicti archiepiscopi ducentes il-
lum secessu ostendebant ei terram amenissimam diversis floribus et arbo-
ribus fructuque omni redimitam, quorum odore suavissimo vivere pos-
set quamdiu ibi mansuri erant. Finem vero istius patrie non poterat considerare
pro magnitudine dilatationis, ubi non erit nox, sed semper sine fine dies precla-
rus, quia splendor purissimi celi illam terram illustrat et iubare suo.
Et tantam multitudinem virorum ac mulierum vidit quod nullo modo potest
computari. Quorum alii hic, alii illuc sua societate distincti
habebant, ita tamen quod quando volebant isti illic atque illi istic transire
cum immensa leticia potuerunt. Chorus choris assistebat, plena
dulcisque armonie concentu deo laudes resonabant. Sicut stella differt
ab stella, ita fuit quedam diversitas in pulchritudine beatorum tam in vul-
tu quam in vestitu. Alii induti fuerunt vestitu aureo, alii vi-
ridi, alii colore purpureo, alii iacintino, alii ceruleo, alii can-
dide, alii rubeo; alii incedebant quasi reges, alii portabant et
palmas in manibus. In hiis fuit visus delectabilis, suavissimus o-
dor, auditusque armonie suavis et dulcis; undique audivit sanctorum con-
centum laudes deo resonantium. Singuli gaudebant de propria felicitate